



REGVLAE PRAEPOSITI DOMVS PROFESS AE.

De ijs, quæ ad eius personam, & totius domus administrationem pertinent. Cap. I.

MN I studio enitatur, ut talis sit, P. 4.c. 10.
§. 4.
qualis optatur Rector in nostris Constitutionibus, atque eò magis, quod illis præsit, quos viros spirituales, & perfectionis studiosos esse oportet.

2 Primam officij sui curam in eo positam esse intelligat, ut oratione, & sanctis desiderijs totam dominum, uelut humeris suis sustineat; & quæcumque in ijs, quibus præst ad ipsorum, aliorumque aedificationem, iuxta instituti nostri rationem optare debet, prius in seipso prestare studeat. P. 4.c. 10.
§. 5.

3 Communes regulas ipse seruet, & singularitatem in cibo, indumentis, & aliarum rerum usu, quantum fieri potest uitet, & familiaritate, atque indulgentia cum quibusdam, alios ne offendat.

4 Intra annum postquam officium Prepositi inhererit, quadraginta diebus Christianam doctrinam eo modo, P. 4.c. 10.
§. 10. &
Can. 42.
8o congr.

A 2 modo,

modo, quo in secunda Congregatione expositum est, legat, aut doceat; sed ex causa per alium id munus cum facultate Provincialis obire poterit.

5 Consuetudines receptas, & a Generali, uel Provinciali approbatas seruet, ac seruari faciat: Si tamen aliqua alia à precedenti Präposito inductas fuerit, non mutet inconsulto Provinciali: ipse uero, nisi suo Superiore approbante, nullam introducat.

P. 4. c. 10. 6 Eos, qui domestica obeunt ministeria (exceptis
S. 5. & 6. quibusdam, quorum electio ad Provincialem pertinet) prudenter constituat, suas cuique regulas tradat, aliquando visitet, & prout in Domino conuenire iudicabit, uel in eisdem ministerijs detineat, uel ab eis remoueat. ^a Quia uero officia quedam, ut bene fiant, experientiam requirunt, qui ad ea idonei inueniuntur, non facile mutari debebunt.

P. 4. c. 10. 7 Ut prospicere officialibus de subsidio, si necef-
§. 6. sarium id fuerit, ne labore grauentur debet, ita cum tempus uacuum illis fuerit, ut illud utiliter im-
pendant diuino seruitio curabit.

Par. 3. c. 1. 8 Etsi potestatem habet designandi confessarios
§. 11. suis subditis, ordinarium tamen confessariorum domus non constituet sine approbatione Provincialis.

P. 6. c. 5. 9 Quamuis in uirtute obedientiae iubere potest, non nisi rarissime, & ex graui ac urgenti causa id faciat.

10 Ordinarias tantum pœnitentias imp onat, quales sunt parua mensa, publica reprehensio, conclusio in circulo, edere sub mensa, osculari aliorum pedes,

DOMVS PROFESSAE.

des, orare in refectorio, dicere culpam suam, subtractio cibi paulatim usque ad panem, & aquam, fires postulauerit, disciplina publica in refectorio, & alia exercitia humilia, & domestica.

11 Sicut ad Praepositum pertinet dispensare in Regulis, & Constitutionibus, & Decretis Congregationum generalium cum particularibus, quando necesse erit; sic & cum dispensauerit in rebus maioris momenti, que uidentur urgere, & in quibus sine graui incommodo Provincialis responsum expressari non potest, cum primo quoque tempore de huiusmodi dispensatione, ac eius causa admonere.

12 Nomina eorum, qui uota solemnia, uel similitudine emiserunt, in libro ad hoc parato notentur; in professis quidem, & Coadiutoribus formatis cum nominibus admittentium; in reliquis vero post biennium cum nominibus celebrantium, adnotato loco, & tempore, iuxta Constitutiones.

13 Quas habeat facultates, partim ex ijs, quae ipsi in his regulis conceduntur, partim ex compendio facultatum Societatis intelligat, ut in ijs, quas non habet, sciat ad Superiorum recurrere.

De ijs, quae Praepositum ad bonam administrationem iuuabunt. Cap. II.

14 **S**it sollicitus, ne Minister, & reliqui officiales suo desint officio, omissis alijs, quae possent impedire.

P. 4. c. 10.

lit. B. & p.

9. c. 3. §. 8.

Par. 5. c. 3.

& 4.

P. 5. cap. 3

& 4.

6 DOMVS PROFESSAE.

P. 4. c. 10. 15 Singulis saltem hebdomadis cum suis consuli
 S. 7. & p. toribus conueniat, deque rebus maioris momenti,
 9. c. 6. §. 14 quæ prot temporum, & negotiorum varietate occur-
 runt, cum illis agat. quamquam ijs auditis penes ip-
 sum erit de singulis statuendi facultas.

b Par. 9. c. 16 Consultores, aliosque omnes, cum ei aliquid
 4. §. 1. proponunt, libenter, & benigne excipiat, & pra-
 cipue b eum, cui monitoris officium commissum est;
 efficiatque ut in sua domo, quæ in formula scriben-
 di præscribuntur, seruentur.

17 Institutum Societatis cognoscat ex lectione
 literarum Apostolicarum, Constitutionum, & De-
 cretorum generalium Congregationum: magis au-
 tem particularia ex lectione Regularum tam com-
 munium, quam officij sui, & aliorum, qui sub ip-
 sis cura sunt, ac Provincialis, & compendij fa-
 cultatum Societatis, atque ex obseruatione confu-
 tudinum receptarum, ac demum ex recursu ad Su-
 periorem in ijs, de quibus dubitabit.

18 Libellum habeat, in quem referat quæcun-
 que sibi ad bonum domus statum subinde occur-
 rent, ne memoria excidant, præcipue illa, de qui-
 bus ad Generalem, uel Provincialem scribendum
 P. 2. c. 3. §. putat.

2. & p. 7. 19 Pro occurrentibus necessitatibus communi-
 c. 2. lit. m bus, & priuatis missas, & orationes suorum (mo-
 & c. 4. §. 3 deratè tamen) iuxta consuetudinem Societatis ap-
 & p. 10. §. plicare poterit.

De

Decura nostrorum in spiritu. Cap. III.

20 **C**URÆ, ut cuique in suo officio integrum P. 4. c. 10.
obedientiam cæteri præsent, & officiales S. 8.

Ministro, & sibi etiam omnes; studeatque eisdem
exemplo obedientia præire, quam ipse suis Superio
ribus, quos Christi loco habet, præstare debet.

21 Det operam, ut Constitutiones, & Regula ob P. 4. c. 10.
seruentur: omnibus domesticis cum omni solicitu- S. 5. & p.
dine inuigilet, eosdemque ab ijs, quæ nocere possint 6. c. 1. & p.
domi, & foris defendat, tum præueniendo, tum etiā, 10. S. ulti.
si quid mali acciderit remedium adhibendo. c In prob.
declar.

22 Efficiat, ut sibi, vel alijs ab ipso deputatis sta- In ex. c. 4.
tis temporibus ratio conscientia reddatur, à Pro- S. 36. 38.
fessis quidem, & Coadiutoribus formati semel in an- & 41. &
no, ab alijs uero bis: & aliquos præter exemplariores p. 6. ca. 1.
Patres assignet, qui eorum confessiones generales S. 2.
excipiant, nisi Provincialis tunc adsit.

23 Meminerit, ut scholastici, si qui erunt, & P. 4. c. 4.
coadiutores non formati, bis singulis annis circa S. 5. & p.
festa Circumcisionis Domini nostri, & Apostolo- 5. c. 4 S. 6.
rum Petri, & Pauli uota sua renouent, præmissis & C. 39.
ijs, quæ fieri solent. tr. congr.

24 Singulis, vel alternis diebus Veneris ex- P. 3. ca. 1.
hortationem nostris vel ipse faciat, vel quis alius, S. 25.
qui rationem nostri instituti bene teneat, in qua aga-
tur de obseruatione Constitutionum, & Regularum,
de fraterna caritate, humilitate, patientia, mortifi-

catione,

catione, & alijs virtutibus, præsertim de obedientia, tametsi exhortationis loco, spiritualis collatio eiusdem de rebus aliquando haberi potest.

25 Crebro, & magna caritatis significatione alloquatur subditos, eorumq; necessitatibus non corporis tantum, sed multo etiam magis anima, paterno affectu, proficiat. Si quem uero intelligat aliqui tentatione pulsari, præsertim gravi, eius pecuniarum curam, & solitudinem non solum per se, sed etiam, si necesse fuerit, per alios gerat, nec remedium longius deferendo difficiliorum morbi curationem reddat.

P. 3. c. 7. 26 In correctionibus & pœnitentijs iniungendis rationem habebit dispositionis personarum, & ædificationis vniuersalis, & particularis earum, ad gloriam Dei.
§. 15.

Par. 3. c. 1. 27 Nisi prudentiarebus particulribus adhibita alter procedendum dictauerit, illud in correctionibus obseruet, ut iij, qui pecant, primò in caritate, & dulcedine admoneantur: secundo in caritate quidem sed eo tamen modo, ut eis confusio, & rubor iniciatur: tertio amoriea, que timorem incutiant, si opus erit, adjicantur.

Par. 3. c. 1. 28 De publicis desectibus publica debet esse pœnitentia, ijs tantum, que ad omnium ædificationem faciunt, declaratis.
lit. N.

29 Poterit mittere interdum aliquem ex suis, ut ostiatim petat eleemosinam, aut vt inserviat hospitiis tali

DOMVS PROFESSAE. 9

tali, aut comitetur emptorem, aut in plateis concio
netur, Christianamue doctrinam doceat, prout ma-
gis in Domino expedire videbitur, habitaratione
ædificationis, & spiritualis utilitatis nostrorum.

30 Delegare poterit Confessario, uel alijs vices <sup>In ex. c. 1.
lit. C.</sup>
suas, ut eas paenitentias approbent, vel improbent,
quas, ad maiorem sui spiritus prosectorum, assumere
quisque uoleat.

31 In danda facultate ieiumandi sicut & in alijs <sup>I. congr. ti.
6. Decreto
17. & in
ex. c. 1. §. 6</sup>
paenitentijs concedendis, uideat ne mensuram re-
lationis excedat; detque operam, ut omnes in-
telligent ad singularitatem non pertinere, si quis
ieiunet alijs non ieiumantibus, dummodo ordinaria
consuetudo ieiumandi, qua iuxta constitutiones non
sit, non introducatur.

32 Vno, & conformitas mutua diligentissime <sup>P. 3. c. 1.
§. 18.</sup>
curanda est, nec ferenda inter uulos domesticorum <sup>d. Ibidem.
lit. P.</sup>
perturbatio, uel ira mutua. si quid autem huic
modi accideret, curet ut statim cum satisfactione
debita in gratiam iniuciem redeant.

33 Tam ipse, quam omnes alijs Sacerdotes, qui ei <sup>Par. 3. c. 1.
§. 19.</sup>
videbuntur, iuxta constitutiones, aliquando intra
annum, officium, uel officia eorum, qui domi inser-
uiunt, ad tempus aliquod obibunt.

34 Non permittat nostros, qui Sacerdotes non <sup>Par. 4 c. 4.
lit. B.</sup>
sunt, frequentius, quam octauo quoque die commu-
nicare, nisi particulares ob causas, habita magis ra-
tione necessitatis, quam deuotionis: diebus tamen

A 5 solem-

solemnibus in hac re dispensare poterit.

In ex. c. 4. 35 Videat scripta, & literas omnes, quæ scribuntur ad domesticos, & quas ipsi alijs scribunt, aut aliquem virum fidelem, & qui donum discretiōnis habeat, domi constituat, qui eas lectas reddat, aut non reddat, prout in Domino magis expedire iudicabit, sibiique referat, si quid inueniterit, quod tanti momenti sit, ut de eo Superior monendus videatur. res autem vanas, aut quæ alia ratione offendere possint, neminem scribere permittat: nec sigillum quemquam habere sinat sine Prouincialis facultate.

P. 3. c. 1. §. 36 Non sint domi arma, nec instrumenta musica, nec libri uani, aut lascivi, nec noui quicquam in recreationibus introducatur.

De auxilio animarum. Cap. IIII.

In ex c. 1. 37 M E M I N E R I T hoc pertinere ad scō-
S. 2. & p. pumtotius Societatis, ut ad animarum
t. in probat salutem, & perfectionem cum diuina gratia pro-
monendam incumbat, & nostri instituti puritatem
in domibus professis, præcipue elucescere debere,
quæ non tam circa media ad hunc finem præpa-
randa (quemadmodum Collegia) quam circa fi-
nem ipsum, & usum mediorum ad eum conser-
tium uersantur.

38 Videat, an nostri zelum habeant animarum,
&

Et an strenue, ac diligenter earum salutem procurerent, ut si solent, quos sanctus Dei amor impellit, nec solum immoderatos pro ratione virium labores suscipi non sinat, sed multo etiam minus in proximitate iuuandis negligentiam toleret.

39 Proponatur populo assidue in Ecclesia uerbum Dei in prædicationibus, & sacrae scripture, vel doctrinae Christianæ lectionibus, quod etiam in alijs Ecclesiis, plateis, & locis præstare potest, quando ad maiorem Deigloriam conserre uidebitur: nominatim uero puerorum, ac rudium personarum in Christianismo institutionem tanquam proprium nostræ uocationis ministerium ualde commendatum habeat: intelligatque Christianam doctrinam canendo doceri posse, ubi ad maiorem edificationem id fore obseruabitur.

40 Procuret diligenter, ne desint designati confessarij, qui domi in administrationem sacramentorum confessionis, & communionis cum fructu exerceantur: quique extra domum agrotorum confessiones audire, morientibus opem, ferre, & eos, qui in carceribus, & hospitalibus inueniuntur visitare, & consolari possint, & reliquis pietatis operibus, que in literis Apostolicis instituti nostri, & Constitutionibus proponuntur, incumbere. sed hæc omnia ipse iuxta ordinem à Provinciali prescriptum exequatur, qui pro ratione loci, & copia nostrorum metietur, quantum in huicmodi rebus opera sit ponen-

Par. 4.c.8.

§. 3. & 6.

& p.7.c.4.

§. 6. & 7.

& Cā. 54

& 55.

tri. congr.

e Ibidem.

Can. 41.

Par. 4.c.8.

§. 4. & p.

7.c.4. §. 5.

& 9. & in

Bullis no-

stri instit.

Paul. 3. &

Iul. 3.

ponendum.

P. 4.c. 8. 41 Curet, ut nostri in spiritualibus exercitijs stra
§. 5. & p. dendis accurate exerceantur postquam ea in se fuer-
7.c. 4. §. 8 rint experti; nullus tamen deberet eastradere, nisi
prudentia, ac rerum spiritualium usu satis proba-
tus esset.

42 Si operariorum copia suppetet, poterit suos
mittere ad alia loca vicina, habito consensu Prouin-
cialis, ut similibus operibus caritatis functi domum,
constituto tempore redeant.

43 Non permittat eodem tempore omnes Sacer-
dotes abesse, sed semper domi, aut in Ecclesia aliqui
maneant, qui occurrentibus necessitatibus proxi-
morum satisfacere possint.

44 Cum quis prædicationi, lectio[n]i sacræ, aut con-
fessionibus audiendis vacat, prouideat ne studij tem-
pus, aliae necessaria illi desint.

Par. 4.c. 8. 45 Si quis ad sacros ordines promouendus, aut
§. 2. & p. in confessarium, uel concionatorem esse eligendus ui-
7.c. 4. §. 5. debitur, Prouincialem admoneat.
& 6.

46 Si quem ex ijs, qui in Ecclesia nostra assidue
ad sacramenta accedunt, intelligeret vitæ sua exem-
pli alios offendere, quantum in ipso est, remedium
per confessarium, uel aliquem alium conuenienti ra-
tione adhibere curet.

Par. 6.c. 3. 47 Non permittat, ut nostri curam mulierum re-
§. 5. ligiosarum, & aliarum quarumcunque suscipiant,
ut ordinariè illarum confessiones audiant, uel ipsas
regent:

regant: quamvis nihil repugnet aliquando apud eas concionari, aut semel vnius Monasterij confessiones speciales ob causas audire; quod tamen non fiet, nisi postulent ij, qui eis presunt.

48 Et si proprium Prepositi officium est dominum sibi commissam diligenter, ac fideliter gubernare, neque is propter aliud quidquam huic munere deesse debet, si quando tamen per officij sui occupationes licebit, & concionari, & confessiones audire, & alia Societatis Ministeria exercere poterit, ac debebit.

Par. 9. c. 6.
S. 1.

De ordine domestico. Cap. V.

49 **Q**uotidie post orationem matutinam fiat sacrum, cui intersint omnes, qui sacerdotes non sunt; nisi aliquibus propter peculiares occupationes aliud tempus ad sacrum audiendum concessum sit.

50 Quando nostri ad sacram communionem accessi sunt, praesertim diebus Dominicis, curet, ut in Ecclesia si commodè fieri potest, id faciant, separati tamen ab externis, quantum locus feret.

In ex. c. 4.

§. 25. & p.

3. c. 1. §. 11

51 Tempore orationi, & reliquis exercitijs assignato sit aliquis, qui obseruet, num omnes ijs uacent, quod & Minister, & ipsemet Prepositus aliquando faciat.

52 Syndicu[m] secretum domi constituat cuius officium

P. 3. c. 1. §. ficium erit obseruare in omnibus, quod ad honestatem, & decentiam externam pertinet, Ecclesiam, &c. 10. §. 7. & domum in locis publicis perlustrando, & si quid, quod non conueniat, annotauerit Superiori referendo.

f P. 3. ca. 2. 53. A posteriore prandij signo ad cœnam, octo, ut minimum, hora intersint: aliquid uero amplius usque ad refectiunculam uespertinam diebus Veneris, & ieuniorum, iuxta morem regionis, f a tempore autem, quo se nostri cubitum reperunt usque ad signum, quo excitantur, septem.

lit. E. Can. 14.
tr. congr.

54. Benedictio, & gratiarum actio in refectorio iuxta usum breuiarij Romani in primamensâ fiant: In secunda uero, & priuata, retineri possunt antiqua benedictio, & gratiarum actio, que à singulis submisæ, & stando fieri debent.

Can. 92.
tr. congr.

55. In mensa Sacerdotes præcedant alios ad eum gradum non promotos; sed nec inter Sacerdotes, nec inter eos, qui Sacerdotes non sunt, ullus ordo constituantur.

P. 3. c. 2.
lit. D.

56. Si aliqua de causa Præpositus prima mensæ adesse non poterit, curet, ut Minister adsit.

57. A prandio, & à cœna hora una, diebus autem ueneris post refectiunculam uespertinam dimidia recreationi religiose impendatur, idque in uno loco, si commodè fieri poterit, sed neque extra huiusmodi horas labores nimium continuari, sine aliqua conuenienti relaxat ione, sinat.

Conse-

58 Conferentia casuum conscientiae bis, aut ter singulis hebdomadis habeantur, quibus Sacerdotes omnes, qui commode poterunt, interesse debent. Praeside docto aliquo, qui ea, de quibus agetur, luculentius explicare, ac definire possit.

De ijs, quæ pertinent ad res temporales. Cap. VI.

59 **M**Agno, & constanti animo speret a Dinya bonitate sua domui, subsidia tempora-
lia adiicienda, si & nostri ad querendum Dei regnum sibi, & proximis serio incumbant, & ipse ratione indigentie instituti nostri integratam violari nunquam permittat.

60 Habeat Procuratorem, qui eleemosinas pe- P. 6. c. 2.
tat, cui alios ad eam rem substituere poterit, si ne- S. 10.
cessarium iudicabit, ita tamen, ut quam paucissimi
in mendicando occupentur.

61 Singulis mensibus à Procuratore rationem P. 4. c. 2. S.
accepti, & expensi praefente Ministro exigat, ut to- S. & p. 9. c.
tius domus administrationis ratio ipsi constet, eam 3. S. 4. lit.
que reddere possit cui, & quando per Superiorum C.
constituetur. caueat autem, né domus alieno ære
grauetur.

62 In ijs, que ad rationem viclus, & aliarum P. 6. c. 2. S.
rerum vita necessariarum, aut conuenientium spe- ult. lit. N.
stant, quamvis curandum est, ut communis illa sit,
&

& ualeutudini nostrorum accommodata; habenda;
men semper est ratio humilitatis, paupertatis, ac spi-
ritualis adificationis in Domino.

63 *Vt curare debet ne ijs, qui in vinea Domini*
magno cum proximorum fructu se exerceant, nece-
sario subsidio priuati maiora bona relinquere co-
gantur, neue morbo, aut etate debiles ministerio
fraternae caritatis destituantur, ita ijs, qui nentra
ratione aliorum indigent opera, adiutores assignare
non debet.

In ex. c. 1. 64 *Si cui particulari quidpiam ab externo di-*
§. 4. & p. quo mittatur, id in communem usum accipiatur, ac
¶ c. 2. lit. dispensetur.

F. & p. 6 e. 2. §. 3. 65 *Caveat ne domus ipsa, aliquis ue professorum,*
aut coadiutorum redditibus Collegiorum, prater-
quam in rebus minimis utatur.

par. 6. c. 2 lit. E 66 *Si quid stabile donatum, legatumue domui*
fuerit, Prouincialem admoneat, ut quamprimum
vendatur, & pretium in usi s necessarios iuxta illius
iudicium expendatur: temporis tamen opportuni-
tas ad uendendum non est excludenda.

Can. 71 tri. congr. 67 *Lites forenses fugiat, nec ullam inconsulto*
Prouinciali intentet, nec intenta respondeat, nisi co-
gatur.

par. 3. c. 1 §. 7 & 9. & c. 15. & 16. tri. congr. 68 *Si bona alicuius ex nostris distribuenda es-*
sent, si ineundi contractus, si fabrica alicuius mo-
menti, & expensæ extraordinariae facienda, aut si
bona offerantur cum aliqua obligatione, rem ad

Prouin.

Prouincialem deferat.

69 Depositum pecunia nullum prorsus admittat; aliarum uero rerum non nisi cautissime, dummodo sint eorum, quibus multum debeamus, aut alioqui id officij, sine magna offensione, denegari non possit.

70 Neminem ex nostris in causis ciuilibus, nem Par. 6. c. 3.
dum criminalibus examinari (nisi, qui ad peccatum §. 8.
obligare potest, compelleret) permittat absque li-
centia, quam minime dabit, nisi in causis, que ad re-
ligionem Catholicam perirent, aut alioqui piæ sint,
¶ ita rni faueant, ut non in alterius detrimentum
cedent.

71 Nullum domi iumentum equitandi causa ad Par. 6. c. 2.
¶ sum alicuius de ipsa Societate ordinariè habeatur, §. 14.
¶ nisi aut propter continenter infirmam alicuius ua g. Ibidem
letudinem, aut propter publica negotia, id necessa- lit. K.
rium, & urgens iudicaret Generalis.

De communicatione cum externis, & gra-
titudine erga fundatores, & bene-
factores. Cap. VII.

72 **M**ulieres iniurere, aut ad eas scribere, nisi in
necessitate, aut cum se magni fructus non
sinat, nec hoc quidem permittat nisi viris ualde pro-
batis, & prudentibus.

73 Non permitat fæminas domum nostram Par. 3. t. 2.
ingredi. §. 14.

Curet

Par. 6. c. 2. 74 Curet ne primarios viros inuisere nostri consuecant, nisi sancto studio piorum operum ducerentur, uel quando intima benevolentia in Domino coniuncti essent.

P. 6. c. 2. 75 Non sinat offerri munuscula, que magnatibus ad res maiores obtinendas offerri solent.

76 Non permittat, ut nostri cibum capiant apud externos, aut ab eis, cum agrotant, uisitentur, nisi causa non leuis momenti ad id concedendum moueret quam eandem esse oportebit, si quando externus aliquis ad mensam presentim resectorij, inuitandus uideretur.

Par. 10. iii. 77 Amicos conseruare, & eos, qui male erga nos affecti sunt, præcipue si homines sunt non vulgaris auctoritatis, orationibus, & rationibus convenientibus in amicitiam reuocare, aut saltem ne aduersarij sunt, efficere studeat.

Par. 4. c. 1. 78 Obseruet, quæ erga fundatores, & benefactores, tam uiuos, quam mortuos obseruanda sunt, eisque gratitudinem exhibeat, & si quam aliam obligationem domus habet, ei satisfieri curet.

De iis, qui admitti petunt, ad domum diuerunt, aut foras mittuntur. Cap. VIII.

Par. 1. c. 1. 79 In societatem neminem admittat, nisi à Genrali, uel Provinciali id ipsi committatur, sed de ijs, qui admitti petunt, ad Provincialem referat, uel

uel scribat, quales illi sint, & quibus donis Dei
prædicti.

80 Si is, qui admitti petit, ad institutum Societatis ualde idoneus uidebitur, & necessitas urgeret, poterit eum tanquam hospitem domi recipere, donec responsum à Prouinciali accipiat, uel eum ad eum demittere, si expedire iudicauerit.

81 Recedentem sine licentia ab alio loco Societatis, uel ab ea dimissum non admittat, sed si expedere uideretur ad Prouincialem de eo scribat, & eius ordinationem exspectet, illo domi, ut hospite, uel in alio pio loco, si uidebitur, detento.

82 Caritatem magnam exhibeat erga alios de societate per domum transeuntes, eosque amanter hospitio excipiat, i ac meminerit se aliquo uiatico, aut eleemosina eos, si indigerent, iuuare posse: curet item diligenter dirigere, ac iuuare expeditiones hospitiū, qui negotiorum causa domi uersantur.

83 Externi ne accipiuntur hospitio, ut domi pernoctent, nisi ij sint, quibus multum debeatur, aut id officij sine magna offensione prætermitti non possit: qua in re habeatur præcipua ratio religiosorum, cum necessitatis causa ad nos diuertunt.

84 Cum quis domo egredietur det ei socium conuenientem: si quando autem aliquis solus foras mititur, is sit, cui merito possit confidere.

85 Neminem ex sua domo in alium locum mittat sine literis patentibus.

P. 1. c. 1.
lit. A.Par. 2. c. 4.
§. 1. & lit.
A.i P. 4. c. 2.
lit. F. & p.
6. c. 2. lit.
D.Par. 3. c. 1.
§. 3.P. 7. c. 2.
lit. M.

Si

p.3.cap.2. 86 Si quis experientia competrerit ferre non
lit. G. posse domus calum, & male habere continenter
cerneretur, uel alia ratione uideretur mutandus,
Prouinciale admoneat, an aliò mitti debeat.

87 Profecturi ad alia loca, ea, quam sottanam
vocant, & alijs interioribus indumentis quibus
vtuntur, priuari, non debent, nisi forte ratio tempo-
ris, aut alioqui caritas suaderet, melioribus esse con-
mutanda: pallium quoque eis relinquatur,
ubi eo nostri pro penula uti in itinere
confueuerunt: ubi autem penula
utentur, pallium non dese-
rant: nec quicquam
secum aspor-
tent,
sine facultate su-
perioris.




REGV-

inv. 81358

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it

DOMINI
REGVLAE
RECTORIS
COLLEGII,



VENETIIS, M D LXXX.

Cum facultate superiorum.

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it



Cinquecentina

n. 391
18

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it

Fondo librario antico dei Gesuiti italiani
www.fondolibrarioantico.it



o librario antico dei Gesuiti it
www.fondolibrarioantico.it